



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

84 Quot sunt dies serui tui: quando facies de persequentibus me
iudicium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

34 Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium.

MOLESTA est lucta, molesti dies pugnae. Quamdiu enim est pugna, est in incerto victoria: & cū spe palmæ coniuncta formido cladis. Sed, si feceris de persequentibus me iudicium, vt mihi illos subdas, timor in lætitiā te adiuuante vertetur. Atqui dictū est ab Apostolo tuo. *Rom. 16.* Conteret Satanā sub pedibus vestris velociter. Si ergo non contero aduersarium, mea culpa est. Nam si bonis inhæreamus operibus, vt exerceamus studia castitatis, iustitiæ, continentię, calcamus serpentem, & scorpionem. Proinde possum & in hac breui vita triumphum de aduersarijs habere perpetuum, te faciente iudicium, quod expecto.

Dies primo pro vita.

Rom. 16.

Ambros.

Secundò pro adueritate.

Psal. 136.

Thren. 2.

Tertiò pro prosperitate.

Thren. 5.

Psal. 72.

Sed quoniā dies interdum in malo ponuntur, vt dies Hierusalem, de quibus dicitur. Memor esto Domine filiorū Edom in die Hierusalem, id est, in die afflictionis illius, & persecutionis. Quot sunt dies, in terrogo, id est, quousque patieris me sine consolatione, aut redemptione tua affligi? vt dicant hostes, Ista est dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus. Rursus, pro propterea ponuntur interdū in bono: vt. Inno-ua dies nostros. Et. In hac die tua. Et, dies pleni inueniētur in eis. & huiusmodi multa. Pu-

Tribulationum
bona.

ta. Puto etiam dies malos mihi esse bonos: & persecutionum, ac pugnae dies non vacuos, sed plenos esse. Siquidem ex afflictionibus, & tentationibus thesauros mihi prouenire facis incomparabiles. Inde enim patientia, inde longanimitas, inde feruor orationis faciem tuam exquirens, inde spes, inde gratiarum actiones ex liberatione, inde humilitatis lucra, inde mundi contemptus, inde caelestium appetitio. Unde & dies Meos, id est, lucri, & consolationis, ipsos etiam dies tribulationis appello, modo facias de persequentibus me iudicium, hostes debellans, & mihi subdens, me illaesus a passionibus, & concupiscentijs feruans.

85 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non, ut lex tua.

Legis diuinae praestantia.
Psalm. 18.

Iniqui, siue peruersi homines, siue demones, siue innatae concupiscentiae, quae phantasmata in mente depingunt, fabulationes narrant. Alij delectationes legunt, ut intelligamus omnes huiusmodi delectationes fabulas esse. Hebraice, nugas, confabulationes, superfluas naenias, graece ἀδολοχίας, id est, garrulitates. Quicquid enim a placitis tuis deuiat, tale est, Sed non, ut lex tua, quae siue praecipiat, siue prohibeat, siue narret, immaculata est, conuertens animas, & sapientiam praestans paruulis.